

iracundia etiam multi efferuntur; et quum in mala scientes irruunt, tum se optime sibi consulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant,

Mihi sic usus est; tibi ut opus est facto, face: velut, qui ipsi bellum indixissent, cruciari dies, noctes torqueri vellent, nec vero sese ipsi accusarent ob eam causam, quod sese male suis rebus consuluisse dicerent. Eorum enim est haec querela, qui sibi cari sunt, seseque diligunt. Quare, quotiescunque dicetur male de se quis mereri, sibi que esse inimicus atque hostis, vitam denique fugere: intelligatur, aliquam subesse ejusmodi causam, ut ex eo ipso intelligi possit, sibi quemque esse carum. Nec vero id satis est, neminem esse, qui ipse se oderit: sed illud quoque intelligendum est, neminem esse, qui, quo modo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolleitur enim appetitus animi, si, ut in iis rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores simus, item in nobismet ipsis, quemadmodum affecti simus, nihil nostra arbitramur interesse.

Atque etiam illud, si quis dicere velit, perabsurdum sit: ita diligi a sese quemque, ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese diligit. Hoc quum in amicitiiis, quum in officiiis, quum in virtutibus dicitur, quomocunque dicitur, intelligi tamen, quid dicatur, potest. In nobis autem ipsis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus. Propter nos enim illam, non propter eam nosmet ipsos diligimus. Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, non modo carum sibi quemque, verum etiam vehementer carum esse? quis est enim, aut quotus quisque, cui, mors quum appropinquet, non

Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu? etsi hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturae tam valde perhorrescere, (quod item est reprehendendum in dolore):